

ad salutem; sola Scripturae voce, hominibus indicantis. *Explicabimus haec uberius.*

REVELATIO DIVINA.

VIII. *Ἀποκάλυψις seu revelatio est verbum ἔγραφο, & de divinis saepe in divinis habetur literis, non tamen uno eodemque sensu. De vocatione gentium accipitur Luc. 2. 32. ubi Christus dicitur esse lumen eis ἀποκάλυψιν ad revelationem gentium. De apparitione & manifestatione in ultimo die futura tum Christi 1. Cor. 1. 7. 2. Thes. 1. 7. 1. Pet. 1. 7. 13. 4. 13. tum filiorum Dei Rom. 8. 19. tum ipsius judicij Rom. 2. 5. accipitur; sed haec à scopo nostro aliena. Propius illa accedit significatio, quando de caelestibus visionibus dicitur 2. Cor. 12. 1. 7. Gal. 1. 12, 2. 2. Ep. 3. 3. Atq; hinc liber Johannis Propheticus Ap. 1. 1. nomen accepit & Ἀποκάλυψις appellatur, quia caelestibus constat visionibus. Propriissima illa & hoc loco aptissima significatio est, quando de notificatione voluntatis divinae in negotio nostrae salutis accipitur Rom. 16. 25. 1. Cor. 14. 6. Eph. 1. 17. χρηματισμός ex v. 22. & Rom. 11. 4. dici posset, de quo statim plura.*

EST ACTIO DEI GRATIOSA.

IX. *Verbo χρηματίζομαι Spiritus Sanctus in hoc Evangelio Mat. 2. 22. & paulo ante v. 12. usus est, quod non tantum responsionem & annunciationem, sed divinam originem ostendit. Hinc L. 2. 26. ad Spiritum Sanctum refertur, & dicitur aliquid κεχρηματισμένον, & divinitus nunciatum à Spiritu Sancto. Sed & absolutè positum in forma passiva (in activa enim aliam significationem habet, ut videre est Heb. 12. 25. Act. 11. 26. Rom. 7. 3.) si angelus internuncius non expresse adjungatur, sicut Act. 10. 22. ad Deum authorem immediate refertur: sic quod ab ipso Jehova Mosi dictum fuerat Exod. 25. 16.*

40. id